



17

30

31.

32.

33

35

35



G. 37. num. 10. *1160*

*1752, 49*

*20*

DE

SENTENTIA VLPIANI

L. 6. §. 2. ff.

QVAE IN FRAVDEM CREDITORVM:  
EIVSQUE IVRE SAXONICO FACTA  
CORRECTIONE,

QVAEDAM DISSERIT  
ET

ORATIONEM ADITIALEM

DIE XXIII. NOVEMBR. A. R. S. MDCCLII. HORA IX.

IN

AVDITORIO ICTORVM

HABENDAM INDICIT

D. FRIDERICVS *Gottlieb* ZOLLER.

PROF. PVBL. IVR. SAX. ORD.

LIPSIAE

LITTERIS STOPFFELIANIS.



*P. M.*



GENUINITIA VITIANI

QVAE IN TRADITIONE CREDITORYM  
EISSGVA IVRE SAXONICO FACTI  
CORRECTIONE

MAXIMAM CURE

ORATIONEM ADITALEM

DIUINAE NOI NURE A R. S. HOCVA HONOR DE

AVDITIO IETOM


IN HOC

S. D. T. I. D. I. V. S. G. I. N. D. I. C. T. I. S.

PRO...

LIBRAR

LIBRIS PROPRIIS





Qui repudiavit hereditatem, ait VLPIANVS  
l. 6. §. 2. ff. Quae in fraud. credit. vel  
legitimam vel testamentariam, non est in  
ea causa, vt huic Edicto locum faciat, no-  
luit enim adquirere, non suum proprium  
patrimonium diminuit. VLPIANVM ita differentem, in-  
terpretari Edictum, quod a Praetore in fauorem credi-  
torum propositum est, et in l. 1. pr. ff. d. t. extat, ne-  
mo dubitabit. Non deficiunt, qui iniquitatem huius  
interpretationis vehementer arguunt, et contra mentem  
Praetoris dixisse VLPIANVM statuunt. Verba Edicti  
haec sunt: Quae fraudationis causa gesta erunt, cum eo,  
qui fraudem non ignorauerit: de his curatori bonorum,  
vel ei, qui de ea re actionem dare oportebit, intra annum,  
quo experiundi potestas fuerit, actionem dabo: idque et-  
iam aduersus ipsum, qui fraudem fecit, seruabo. Ge-  
neralia sunt haec Edicti verba, quae ad quodcunque ne-  
gotium

## IV

gorium a doloso debitore in fraudem creditorum susceptum, adplicare poteris, ut hac in parte iuri Praetorio, quod iuxta *l. 7. §. 1. ff. de l. et l. adiuvandi*, supplendi vel corrigendi iuris civilis gratia propter utilitatem publicam introduxerunt Praetores, satisfacias. Probat et hoc ipse interpres *VLPIANVS*, dum *l. 1. §. 2. ff. Quae in fraud. cred. fatetur*. *Quodcumque fraudis causa factum est, videri his verbis reuocari, qualecunque fuerit, nam late ista verba, quae fraudationis causa gesta erunt, patere*. Male hac ex ratione causam defendit *l. 6. §. 2.* cum hereditatis, quae vel lege vel testamento debitori defertur, renunciationem admittat, nec huic Edicto locum relinquat. Quid enim hac renunciatione aliter intendit debitor, quam ut creditores defraudare, et illis solutionem, quam ex hereditate ipsi delata sperare poterant, adimere, et iam abunde deceptos, maiorem adhuc in modum malitia sua decipere valeat. Animaduertit hoc *SCHILTERVS in Exercit. ad Pand. et BRUNNEMANNVS ad hanc legem 6.* et principia iuris naturae sua interpretatione offendisse *VLPIANVM* uterque statuit, cui et *LEYSERVS Specim. 492.* addit calculum. Sed videamus an male interpretatus fuerit Edictum Praetoris *VLPIANVS*, vel an inique pronunciauerit Praetor, et malitiae debitorum, quam corrigere volebat, auxilium praestiterit. Suppeditat Praetor in hoc Edicto actionem reuocatoriam, quae ab eius nomine Pauliana vocatur. Conuenit vero haec actio cum actione Fhuiana, et vtriusque eadem vis et natura est, ut, quamvis nomi-

nibus

nibus distinguantur, pro vna tamen eademque actione merito haberi debeant. *Vid. WESEMBEC. in Parat. h. r. n. 2. et 5. BOGER. Class. 4. Disp. 7. th. 57.* Effectus actionis Fauianae consistebat in reuocatione alienationis in fraudem creditorum factae, quem et actioni Paulianae tribuit PAVLVS l. 38. §. 4. ff. de usur. his verbis: *In Fauiana quoque actione et Pauliana (en coniunctionem vtriusque actionis) per quam, quae in fraudem creditorum alienata sunt, reuocantur, fructus quoque restituntur: nam Praetor id agit, vt perinde sint omnia, atque si nihil alienatum esset.* Eandem fouet sententiam Imperator §. 6. l. de Actionib. Item, ait, *si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit, bonis eius a creditoribus possessis, ex sententia Praesidis: permittitur ipsis creditoribus, rescissa traditione, eam rem petere, id est, dicere, eam rem traditam non esse, et ob id in bonis debitoris mansisse.* Alienatio itaque a debitore obaerato fraudulenter facta, est fundamentum actionis Paulianae, et generalia Edicti verba: *quae fraudationis causa gesta erunt:* de hoc solummodo casu intelliguntur, cum verba, quibus Praetor declarat mentem, ex ratione, quam Praetor in promptu habuit, significationem recipiant. Definiuit autem Seneca lib. 5. de Ben. c. 10. alienationem rei suae, iurisque sui in alium translationem, et Imperator l. 1. C. de fund. dot. Alienationem omnem actum, per quem dominium in alium transfertur, vocauit, cum quo et VLPIANVM l. 67. pr. ff. de V. S. consentientem scimus; ex quibus abunde apparet, quod tantum alienationem factam

Etiam intelligamus, quando aliquid ex bonis nostris perdimus et patrimonii vires diminuiamus. Haec diminutio cessat, si omitterimus acquisitionem, et lucrum, quod nostro patrimonio accedere posset, non quaerimus, sed contenti sorte nostra viuimus. Quemadmodum enim non alienat, qui duntaxat possessionem omittit *l. 19. ff. de R. I.* ita quoque ex mente PAULI *l. 28. pr. ff. de V. S.* qui occasione acquirendi non vitur, non intelligitur alienare: veluti qui hereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur. Nec subest fraus, cum is, qui iure suo vitur, nemini inferat iniuriam, non enim defraudantur creditores, cum quid non acquiritur a debitore: sed cum quid de bonis diminuitur. *L. 134. ff. de R. I.* Quibus praestructis nullam imputamus culpam VLPIANO, qui regulis boni interpretis ex asse satisfacit, et vltra intentionem dicentis verba Edicti extendere noluit. Vera sunt, quae dixit *l. 3. §. 2. ff. Quae in fraud. cred.* Qui aliquid fecit, ut desinat habere, quod habet, ad hoc Edictum pertinet: et ex ratione *l. 6. pr. ff. d. t. quod Edictum pertineat ad diminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur:* iure omissionem acquisitionis ab Edicto eximit. Iniquitas, si quae remanet, in Praetorem redundare videtur, qui, dum ex altera parte sua aequitate dolum prohibuit, ex altera parte conniuendo et tacendo eundem nutriuit. Sed nec is defensione opus habet, cum argumenta aequitatis, quae, etiamsi Edictum non profuisset, haec in parte creditoribus adsistunt, eosdem

que



que contra dolum, quem debitor in omiſſa acquisitione exercet, tutos reddunt, non deficiant. Omiſit Praetor hunc caſum, quia mens erat, de ſpeciali tantum quaefitione circa alienationem diſſerere, eandemque ſua aucto-ritate decidere. Hoc iam per ſe ſufficeret, ad defendendum Praetorem, ſed et alia ratio ſuperest, decifa ſc. iam haec erat cauſa, et non opus erat remedio ſubſidiario. Creditores bona debitoris, qui ſoluere debitum non poterat, occupabant, et ex Praetoris decreto miſſionem conſequebantur. Haec miſſio non ſolum circa bona debitoris propria, ſed etiam circa res alienas, in quibus debitor ius aliquod in re habebat, verſabatur, qua ratione *VLPIANVS l. 8. ff. de reb. auct. iud. poſſ. uſumfructum in venditionem bonorum venire adfirmat.* Et *Accuſius ad l. 13. ff. d. r.* adſerit, quod ea, quae poſt miſſionem lucro debitoris cedant, a creditoribus ſine noua iudicis auctoritate poſſideri poſſint. Quodcunque itaque vel tempore miſſionis, vel poſt miſſionem in bonis debitoris erat, id poſſidebant et adquirebant creditores, citra uoluntatem debitoris, Praetor enim id ſentiebat, dum miſſionem in vniuerſa impertiebatur bona, licet iure Nouellarum *Nou. 53. c. 4. §. 1.* cauſa correcta, et tantum in partem, pro quantitate debiti miſſio facta fuerit. Hac ex ratione debitor, cuius bona ſemel erant occupata, non gaudebat poteſtate de hereditate delata diſponendi, multoque minus eam repudiandi. Pertinet diſpoſitio ad creditores, tanquam poſſeſſores bonorum. Obiicies forſan, eam hereditatem nondum eſſe in bonis, ob deficien-

## VIII

ficientem aditionem, sed perpendas tecum, debitori competere actionem ad hereditatem lege vel testamento delatam, petendam: Hoc efficit, vt sit in illius bonis, cum *l. 49. ff. de V. S. aequè bonis adnumeretur etiam si quid est, in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam haec omnia*, inquit *VLPIANVS, in bonis esse videntur*. Et cum tali modo iura creditorum sint salua, in tantum, vt contraria voluntas debitoris, qui circa dispositionem amplius non concurrit, nihil efficiat, frustraneum suscipiet laborem Praetor, si de hoc quoque casu Edictum conficere et leges praeter necessitatem augere voluisset. Errant grauiter Doctores, qui sententiam fouent, debitori obaerato iuxta Edictum Praetoris hereditatis legitimaë vel testamentariaë repudiationem esse permissam. Suspicionem excitant contra Praetorem, cuius se nunquam participem reddere voluit. Hoc verum est, Praetor in Edicto nihil diserit de hoc casu, et interpretes *VLPIANVS* ad Edictum eundem non refert, addita ratione, quia non suum proprium patrimonium diminuit. Sed ideo non sequitur, Praetorem hanc iniquitatem repudiandi hereditatem in fraudem creditorum, permisisse. Sciuit Praetor hanc quaestionem iam satis esse decisam, hinc eam intactam reliquit, et vt principiis immisionis in bona insistamus, voluit.

Adeant itaque creditores, si casus obueniat, hereditatem debitori siue lege siue testamento delatam, illius nomine, et ad consequendam contra possessores agant.  
Frustra

Frustra ipsis obstat exceptio repudiationis factae, cum per replicam, quod debitor non potuerit repudiare id, quod iam creditoribus securitatis causa a iudice assignatum, vis et efficacia huius exceptionis nulla remaneat.

Iure equidem Saxonico a disceptatione petitio creditorum liberatur, cum leges huius provinciae sententiam VLP IANI satis prolixè correxerint, et ad hunc quoque casum actionem Paulianam de reuocandis alienationibus in fraudem creditorum factis, applicauerint. Iam dum obseruantia in fauorem creditorum pronunciauit, et praecudicia Doctorum rigorem legis 6. emendauerunt. Distinguere nempe voluerunt inter hereditatem deferendam, et hereditatem iam delatam. Circa priorem repudiationem permittunt, partim quia cessaret praesumptio fraudis et ratio prohibitiua in remissione iuris futuri, quod adhuc speratur, cuiusque euentus est dubius et incertus, partim quia hoc lucrum adhuc quaerendum et patrimonio nondum incorporatum, per factam renunciationem non dicatur alienari, cum in bonis debitoris nunquam fuisset, nec propterea creditores de praecudicio sibi illato conqueri possent: Circa posteriorem, repudiationem debitori denegant, partim, quia repudians bona, quae iam possidet, vel quorum possessionem omnimodo capere valet, non potest non committere fraudem, partim, quia patrimonio debitoris semel incorporatum in praecudicium creditorum illicitè alienaretur.

FINIS

B

Ita

Ita sententiam sua auctoritate suffulcit CARPZOVIVS  
*P. II. Decif. CLXI.* et ex scabinatu Lipiensi praeiudi-  
 cia apponit.

At, quemadmodum praeiudicia variant et certos  
 imperii fines agnoscunt, ita et eadem distinctio, quae  
 CARPZOVIO placuit, et in Dicafteriis saepe obtinuit,  
 non effecit regulam, cum legislator Saxonicus rigorem  
 legis 6. §. 2. ff. *Quae in fraud. cred.* simpliciter in pro-  
 nunciando obseruauerit, non adhibito respectu ad discrimen.  
 Ita enim BERLICH. *P. II. Dec. 168.* refert casum,  
 ubi nobilis obaeratus feudum iure ad ipsum deuolutum,  
 in fauorem filiorum, ne fructus perciperent creditores,  
 repudiabat, et hanc omisam acquisitionem, quae liqui-  
 do in fraudem creditorum vergebat, vrgentibus quam-  
 uis creditoribus, et ad lucrum delatum prouocantibus  
 Princeps in rescribendo nihilominus validam pronun-  
 ciabat.

Et ne diutius dubia circa hunc casum maneat sen-  
 tentia, Diuus legislator Saxonicus anno 1746. decisionem  
 hac de re dedit, quae numero est 25. Haec decisio duos  
 in se continet casus, quorum posterior plane singularis  
 et iuri communi incognitus. Primus agit de debitore,  
 qui post motum concursum iuri vel hereditati sibi com-  
 petenti renunciat: Prohibet nimirum legislator, quo-  
 minus

minus debitor iuri vel hereditati siue delatae siue adhuc sperandae renunciet, et eam repudiet. Reprobat exheredationem bona mente factam, et eam, cum solum modo ad defraudandos creditores suscipiatur, inualidam pronunciat. Vnum tantum, ne valeat renunciatio, desiderat requisitum, vt scilicet affixio publica edictalium facta, et concursus rite et secundum leges formauerit iudex. Ex hoc enim iura creditorum in regula dependent, et quicquid debitor ante concursum motum suscepit, eorum causam non tangit. Huc spectant verba Decisionis.

Da ein Schuldner im Concurs wirklich befangen, oder auch die Edictal-Vorladung seiner Gläubiger von dem Richter resolviret, und öffentlich affigiret worden, so soll ihm nicht frey stehen, sich seines usufructus, oder eines andern ihm zukommenden Rechts, insonderheit auch einer Erbschaft, so er aus einem Pacto, Testament oder ab intestato zu hoffen hat, wenn solche gleich noch nicht angefallen, oder auch noch ungewiß ist, und also um so viel weniger, wenn ihm solche nicht entzogen werden kan, sich zu begeben, inmaßen denn auch, da ein solcher Schuldner, ihm oder den seinigen zum Besten, jedoch ohne hierzu nach denen Rechten habende genügsame Ursache, also, wie man es zu nennen pfleget, bona mente enterbet würde, dergleichen Exheredation quoad legitimam schlechterdings vor ungültig zu achten.

## XII

Secundus casus, quem continet Decisio, sane singularis est. Ex iure communi debitor ante concursum motum de bonis suis plenarie disponit, ita ut quamvis laesionem ex alienatione rerum sentiant creditores, ipsis tamen actio Pauliana ad reuocandam alienationem satis fraudulosa non competat, cum tempore alienationis non habuerint ius contradicendi. Sed hoc corrigit legislator et sua decisione disponit, ut renunciatio hereditatis a debitore ante motum concursum suscepta, non valeat, si ex post facto oriatur concursus et tempore renunciationis debitor non amplius fuerit soluendo. Emerdauit hac in parte principia iuris communis circa actionem Paulianam, quae ex voluntate legislatoris, contra ius antiquum, et competit creditoribus circa res, de quibus debitor, tanquam dominus, plenariam disponendi et alienandi habebat potestatem. Aequitati plus satisfecit, quam Praetor, quippe qui tantum in concedenda hac actione tempus, quo iura creditorum, iudicis auctoritate fiebant radicata, considerat. Ampliauit et legislator hanc decisionem et non solum ad confluxum creditorum respexit, sed et in casu, si vnus creditor aduersus debitorem experiatur, et debitum exigere nequeat, eandem sententiam tulit, ipsique ut impugnare renunciationem ante motum concursum, possit, concedit, hoc vnicum in vtroque casu obseruare necesse est, debitorem tempore renunciationis non fuisse soluendo, et creditorem eo nomine probationem, quae et per iuramenti dela-

delationem fieri potest, suscepisse. Verba Decisionis  
sunt haec:

Frühe es sich auch ferner zu, daß iemand einer Erbschaft, oder sonst seines Rechts sich begeben, und es entsünde nachhero zu seinem Vermögen ein Concurfus creditorum, oder es würde auch solches zu Bezahlung eines einzigen Gläubigers nicht zureichend befunden, soll so wohl der Curator litis, als der Gläubiger, da er an Seiten des Schuldners, daß der Abfall der Nahrung, zur Zeit der beschehenen Renunciacion bereits vorhanden gewesen, erweisen wolte, darmit, iedoch nebst Vorbehalt des Gegen-Beweises vor den Schuldner, oder den, der causam von ihm hat, gehdret, nichtmünder auch darüber der Eydes- Delation, wider beyde sich zu gebrauchen, zugelassen, und nach Befinden, so dann auf die Ungültigkeit der beschehenen Renunciacion erkannt werden.

Sed nunc ad id me conuerto, cuius causa haec elaborauit. Contulit nuperrime POTENTISSIMVS POLONIARVM REX, ELECTOR SAXONIAE SERENISSIMVS DOMINVS FRIDERICVS AVGVSTVS, Professionem Iuris Saxonici Ordinariam, quam antea eiusdem munificentia beatus D. DINCLERS in hac Academia administrauit, mihi quam elementissime: Desiderat

XIV

rat religio, vt publice deuotissimo animo agam gratias, et pietatem tanto Principi debitam, exhibeam. Paefinitus est huic negotio, mihi quam iucundissimo, dies XXIII. Nouembr. quo pia vota pro AVGVSTISSIMO REGE ET VNIVERSA STIRPE SAXONICA soluere, et breui oratione *de nullitate pacti, quo venditor futura onera rei venditae in se suscipit*, munus demandatum, more maiorum adire, mecum constitui. Vt huic actui RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, ET GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI QVE COMMILITONES interesse et dicenti beneuolos se praebere velint, omni qua decet humanitate te rogo. Dabam d. XIIII. Nouembr.

MDCCLII.









ULB Halle  
005 372 50X


3



WIP







G. 37. num. 10. ~~thoo~~  
1752, 49.

DE

SENTENTIA VLPIANI

L. 6. §. 2. ff.

IN FRAVDEM CREDITORVM:  
QUE IVRE SAXONICO FACTA  
CORRECTIONE,

QUAEDAM DISSERIT  
ET

IONEM ADITIALEM

VI. NOVEMBR. A. R. S. MDCCLII. HORA IX.

IN

TORIO ICTORVM

HABENDAM INDICIT

DERICVS Gottlieb ZOLLER.

PROF. PVBL. IVR. SAX. ORD.

LIPSIAE

TERIS STOPFFELIANIS.

